

2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura—Decree of the Secretary—March 25, 2014.

Prot. n. 48760/14 CA

Suppressionis paroeciae Y in urbe v.d. "H-K" et status ecclesiae (D.na W et alii—Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Die 29 maii 2013, Exc.mus Archiepiscopus H, audito die 15 martii 2013 consilio presbyterali, decretum tulit suppressionis paroeciarum territorialium Y et C necnon paroeciae personalis D per unionem extinctivam cum paroecia territoriali M in urbe v.d. H sita, statuens simul decretum effectum habiturum esse a die 1 iulii 2013. Ecclesiae autem Y, C et D, seu ecclesiae paroeciarum suppressarum, «will remain open as a worship site for M Parish».

Quo decreto die 2 iunii 2013 intimato, d.na W, paroeciana paroeciae Y, die 11 iunii 2013 remonstrationem coram Exc.mo Archiepiscopo exhibuit atque, instantia die 24 iunii 2013

reicta, recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis die 2 iulii e.a., nunc una cum aliis paroecianis, interposuit. Quae Congregatio, auditis Exc.mo Archiepiscopo et Cl.mis partis recurrentis Advocatis, decreto diei 19 novembris 2013 reiecit recursum utpote fundamento canonico in iure et in facto carentem. Quam adversus decisionem d.na W et alii die 9 ianuarii 2014 provocaverunt ad hoc Supremum Tribunal, moti- vis recursus expositis.

Actis causae pro examine prae- liminari petitis iisque receptis ac rimatis,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod obiectum recursus coram hoc Supremo Tri- bunali est asserta illegitimitas deci- sionis Congregationis pro Clericis diei 19 novembris 2013 (cf. art. 34, § 1 *Legis propriae*);

Perspecto quoad unionem exstinctivam paroeciarum, quod ad normam can. 515, § 2 unius Episcopi dioecesani est paroecias supprimere (cf. CD 32), qui eas ne supprimat, nisi audito consilio presbyterali; antequam decretum suppressionis ferat, Episcopus necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quantum fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possint (cf. can. 50); quae iura acquisita haberi possunt v.g. ex actu foundationis vel contractus, sed probanda sunt; decretum suppressionis feratur, denique, saltem summarie expressis motivis (cf. can. 51);

Perpenso quod Exc.mus Archiepiscopus decrevit suppressionem paroeciae territorialis Y occasione cuiusdam generalioris recognitionis ad ordinationem pastorem archidioecesis quod attinet;

Viso quod praevia auditio consilii presbyteralis, notitiis necessariis pro disceptatione receptis, adimpleta est, attentis quidem diversis circumstantiis casus, ad normam can. 127;

Perpenso quod decretum Exc.mi Archiepiscopi, ad normam can. 51, summarie motivis suffutum est;

Considerato quod etiam paroecia in bona condicione legitime uniri potest cum aliis paroeciis, nam consideranda est non tantum condicio singulae paroeciae sed etiam totius urbis, immo totius dioecesis (cf. decretum diei 12 iunii 2012, prot. n. 46039/II CA, p. 3);

Pro comperto habito quod unio communitatum paroecialium potest roborare fidem et vitam communitatum debiliorum;

Animadverso quod damna quae pars recurrens timet, ceterum sat indeterminata, haud certa apparent; immo, instantia haec tantum hypothetice proponitur;

Cum proinde indubie et evidenter constet recursum relate ad suppressionem paroeciae Y adversus decretum Congregationis pro Clericis omni fundamento carere;

Cumque, quod ad statum ecclesiae Y attinet, non exstet lex, quae eius ius sancit ut paroecialis permaneat; decisio enim quoad electionem ecclesiae paroecialis pro nova paroecia ad discretionem Exc.mi Episcopi dioecesani pertinet, exclusam tamen arbitrarie;

Pro notorio habito quod huius Supremi Tribunalis, praeter iudicium de illegitimitate actus, non est de merito causae videre (cf. Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, Responsum II, 4 diei 11 ianuarii 1971, in AAS 63 [1971] 330);^[1]

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76 *Legis propriae* qua haec Signatura Apostolica regitur,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti quoad suppressionem paroeciae Y necnon ob manifestum praesuppositi defectum relate ad mutationem status ecclesiae Y.

[1.] "4) D.—Utrum in casu de quo in dubio tertio, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal—Sectio Altera—videat tantummodo de illegitimitate actus impugnati an etiam de merito causae. R.—Affirmative ad I^{um}; negative ad II^{um}; seu Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal—Sectionem Alteram—videre tantum de illegitimitate actus impugnati."

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab eodem notificato, quo casu debet pars recurrens insuper intra terminum triginta dierum ab hoc decreto notificato authenticum mandatum pro avvocato-procuratore, eo consentiente ex albo adnexo selecto, exhibere.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 25 martii 2014.

✠ Franciscus DANEELS, o. praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus
MEJÍA YÁÑEZ
Moderator Cancellariae